

SECTIO V. DE PONDERIBVS MEDICIS.

§. 200.

Cum corpora sint massae extensae, eorum quantitas determinatur vel per quantitatem extensionis, vel per quantitatem massae. Illa audit volumen, haec pondus. Ergo corporum quantitas determinatur vel per pondus, vel per volumen.

§. 201.

Ingredientia medicamentorum, quin medicamenta ipsa sunt corpora. Iam corporum quantitas determinatur vel per pondus, vel per volumen §. 200. Ergo quantitas medicamentorum, eorumque ingredientium, determinatur vel per pondus, vel per volumen.

§. 202.

Pondera, quibus in medicina utimur, sunt libra medica eiusque partes. Libra vna continet uncias duodecim, uncia vna continet octo drachmas, drachma vna complectitur scrupulos tres, et scrupulus vnus viginti grana.

§. 203.

Medici a longo satis tempore certos, compendii forsitan in scribendo causa, excogitarunt characteres, quibus pondera sua designarunt,

Quantitas corporis determinatur vel per pondus, vel per volumen.

Idem valet de medicamentis, eorumque ingredientibus.

De ponderibus in officinis usitatis.

De signis ponderum.

HO PARS I. DE FORMVLIS IN GENERE.

runt, atque hi nostro aeuo vbique sunt recepti, ita, vt formulam praescripturus eos nosse debeat. Denotat autem

hoc signum $\mathfrak{L}$ libram medicam

— — $\mathfrak{z}$ unciam

— — $\mathfrak{z}$ drachmam

— — $\mathfrak{d}$ scrupulum

— — gr. granum

Dimidia horum ponderum pars designari solet hoc caractere $\mathfrak{ss}$, ita, vt, si libra dimidia, vel uncia dimidia sit denotanda, scribatur sic: $\mathfrak{Lss}$, $\mathfrak{zss}$. Idem sic se in reliquis ponderibus habet.

§. 204.

Scho-
lion.

Granum vltius in partes diuidi potest et diuiditur, ac piperis albi, vel hordei grano minori circiter aequale habetur. Consultius autem foret, grano exacte definiti ponderis, vti eo, quo aurifabri vti solent, iuxta Fernellii consilium vti; quum alias reliqua omnia pondera maiora, granum pro basi habentia, incerta sint.

§. 205.

Quibus
notis
nume-
rus pon-
derum
expri-
matur.

Numerus ponderum non barbaris notis, I. 2. 3. etc. sed Romanis, I. II. III. etc. exprimi solet.

§. 206.

§. 206.

Vt proportio ponderum vno intuitu comprehendendi possit, sequentem tabulam apponam.

De proportionem ponderum.

℥	3	3	3	gr.
℥i	XII	3XCVI	3CCLXXXVIII	5760
℥ss	VI	3XLVIII	3CXLIV	2880
3j	3j	3VIII	3XXIV	480
3ss	—	3IV	3XII	240
3ij	—	3j	3III	60
3ss	—	—	3i	30
3ij	—	—	3i	20
3ss	—	—	—	10
grj	—	—	—	1

§. 207.

De determinatione

Quantitas medicamentorum eorumque ingredientium determinari quoque solet per fasciculos, manipulos et pugillos, atque haec determinatio quantitatis medicamentorum eorumque ingredientium est determinatio quantitatis eorum per volumen §. 201. Valet ista tantum de aridis.

§. 208.

quantitatis medicamentorum per fasciculos, manipulos et pugillos.

Fasciculus est, quantum vlna, siue brachio complicato capi potest. Aequalis habetur manipulis duodecim, atque sic ut plurimum determinatur quantitas herbarum e. g. pro balneis.

§. 209.

Quid sit fasciculus.

§. 209.

Quid sit
manipulus.

Manipulus est, quantum tota manu capi potest. Respondet fere pugillis quatuor, vel vnciae vnus dimidio. Sic determinari solent quantitates herbarum, foliorum et florum, rarius seminum.

§. 210.

Quid sit
pugillus.

Pugillus continet, quantum pollice duobusque digitis prioribus vnus manus prehendi potest. Respondet fere drachmae dimidia, vel integrae. Diuiditur a multis Medicis, iisque accuratioribus, in maiorem et minorem. Per maiorem pugillum intelligunt, si tantum accipiat, quantum quinque digitorum extremitatibus teneri potest, atque hunc ordinarium esse et circiter drachmam vnam adaequare asserunt. Pugillus minor iis audit, si tantum accipiat, quantum tribus digitis comprehendi potest, atque hic dimidio fere vnus drachmae respondere dicitur.

§. 211.

Ad quae
circa de-
termina-
tionem
quanti-
tatis me-
dica-
mento-
rum per
fascicu-
los etc.
fit atten-
dendum.

Si Medicus medicamentorum quantitatem per fasciculos, manipulos, vel pugillos determinare vult, sciat necesse est, quanta sit illorum densitas et raritas, item quod eorum mensura et virtutes sint aequales. Nam herbae, folia, flores, modo arctius comprimuntur, modo laxius coaceruantur, quin et pro magnitudine brachiorum, manuum ac digitorum, fasciculi, manipuli et pugilli variant, et fiunt vel minores, vel maiores. Denique in

in desiccando virtutes huic herbae magis, alii minus conservantur, et alii magis pereunt. Habet igitur idcirco hoc mensurae genus per fasciculos, manipulos et pugillos, tum demum locum, quando dosis adeo exacta non requiritur, et ex eius excessu vel defectu, vel plane nullum metuendum est incommodum, vel saltem non notabile. Si vero cautione hac in re opus sit, potius ponderibus, quam fasciculis, manipulis et pugillis, determinentur herbarum, foliorum et florum quantitates, v. g. si euacuantia, anodyna et narcotica sint recipienda.

§. 212.

Fasciculi, manipuli et pugilli bifecari solent, et tunc eorum pars dimidia aequae ac ponderum, designari solet caractere §. Sic, si manipulus dimidius est exprimendus, scribitur m§.

Quomodo pars dimidia eorum exprimitur.

§. 213.

Si medicamenta massae homogeneae et eiusdem grauitatis specificae aequalia habeant volumina, pondera sunt vt numeri eorum, et quantitates eorum numero determinari possunt. Sic ordinarie doses pilularum, quoque et trochiscorum, rotularum, bolorumque definiti solent numero. Fructus quoque, semina maiora, bulbi interdum, albumina et vitelli ouorum praescribuntur numero.

De determinanda quantitate medicamentorum per numerum.

(Pars I. de form. in gen.) H - §. 214.

De
quanti-
tate vo-
luminis
medica-
mento-
rum per
con-
gium,
cyathum
etc. de-
termi-
nanda.

Praeterea quantitas voluminis medicamen-
torum determinari vulgo solet mensuris cauis,
et eam ob causam mensurae cauae medica-
mentorum sunt vti eorum volumina. Men-
surarum cauarum varia apud veteres occurrunt
genera, quae nostro tempore fere in desue-
tudinem abierunt. Sunt vero vsitatae men-
surae cauae, congius, sextarius, hemina, cy-
athus, cochlear. Congius continet sex sex-
tarios, quilibet sextarius pendit libras duas,
vel uncias viginti quatuor aquae. Hemina
est dimidium sextarii, ac proinde pendit libram
vnam, seu uncias duodecim aquae. Pharma-
copoeis hoc mensurae genus vsitarum est, et
ab aliis simpliciter appellatur *mensura*, cuius
pars duodecima *uncia* quoque ab iisdem no-
minatur. Cyathus est duodecima pars sexta-
rii, et pendit aquae uncias duas, hinc tan-
tum circiter capit, quantum vasculum, ex
quo potus Thee hauritur. Cochlear est duo-
decima pars Cyathi, atque propterea circiter
pendit scrupulos quatuor.

§. 215.

Vt proportio mensurarum cauarum vno intuitu oculis vsurpari queat, sequentem tabulam hic subiungam.

De proportionemensurarumcauarum

	Sextarii	Heminae	Cyathi	Cochlear
Congius	6	12	72	864
Sextarius	1	2	12	144
Hemina	—	1	6	72
Cyathus	—	—	1	12
Cochlear	—	—	—	1

§. 216.

Nec omittenda est dosium per guttas determinatio, quae hodie frequentissima est, ubi medicamenta liquida exigua dosi praescribuntur, uti sunt essentiae, tincturae, spiritus, olea destillata, et similia.

De determinatione dosium per guttas.

§. 217.

Sunt autem massae guttarum in ratione multipliciter composita, ac primo quidem in ratione directa cohaesionis. Cohaesio enim particularum primaria causa est, ut liquida guttatim destillent; sine hac enim statim in minimas dissiparentur moleculas. Cohaesio vero particularum in variis fluidis variat, et modo maior est, modo minor. Spiritus vini particulae non tanta vi sibi inuicem cohaerent, quanta aquae, nec aquae particulae tanta vi, quanta olei. Porro cohaesionem particularum

Massae guttarum, in quam sint ratione.

H 2

fluidis-

fluidorum auget eorum visciditas, atque eadem eorum guttis maiorem conciliat magnitudinem. Ita v. g. guttae mellis, balsamorum, sunt maiores, quam guttae aquarum, et aquae, in qua gummi solutum est, guttae sunt maiores, quam guttae aquae purae.

§. 218.

Ratio
massae
gutta-
rum vl-
terius
exponi-
tur.

Cum guttae in superficie quadam colligantur atque ex ea decidant, eius quoque in determinanda guttarum magnitudine habenda est ratio. Guttae enim cadentes e vase, cuius margo est amplius, sunt maiores, et contra, si a fili extremitate decidant, multo minores, vnde patet, guttas esse in ratione directa superficieum, in quibus colliguntur, et a quibus destillant. Neque minus guttas asperitas superficiei, e qua cadunt, reddit maiores, quoniam liquidi particulae ab asperitate superficiei diutius retinentur, vt hac ratione maior liquidi quantitas in vnam colligatur guttam. Quemadmodum vero superficiei, e qua guttae cadunt, asperitas liquidi collectionem adiuuat, ita ei superficiei laeuitas obest, quam ob rem ceteris paribus e ligneis vasis maiores, quam e vitreis, cadunt guttae. Massae itaque guttarum sunt in ratione directa scabritiei, sed in reciproca laeuitatis, quae est in superficiebus, a quibus cadunt.

§. 219.

Deter-
minatio
 quanti-
tatis per

Hae sunt praecipuae, sed non omnes rationes, pro quarum varietate guttae quoque
va-

variant, et reliquas proferre possem, nisi mihi sit verendum, ne his lectoribus sim molestus. Propterea igitur sufficiant. Satis enim superque ex adductis §. 217. 218. apparet, cum guttae tot modis variari possint, dosim medicamentorum vix accurate per guttas determinari posse. Quamobrem dosium per guttas determinatio eo casu habet locum, ubi rigor non requiritur, nec damnum est metuendum, etiamsi quantitas medicamenti liquidi per guttas determinata dosim destinatam paululum excedat, vel ab illa deficiat.

§. 220.

Qui vero magis accuratam dosium determinationem per guttas, quam quae vulgo in usu est, desiderat, huic incommodo, de quo §. 219 dictum est, facile mederi potest, si nimirum, postquam vasculo vitreo inditum est medicamentum guttatim assumendum, guttulae quotcunque effusae pondere examinentur. Ita enim pondere illarum inuento, facile deinde per proportionum regulam directam inuenire potest, quot cuicunque ponderi guttae, ex eodem vel simili vasculo cadentes, respondeant. Sic e vasculis illis minoribus, dispensationi essentiarum destinatis, dum liquida mediocriter destillant, vnaquaeque gutta circiter grani vnus pondus adaequat.

§. 221.

Eadem, quam determinationi quantita- Scho-
tis medicamentorum per fasciculos, manipu- lion.

H 3

los

guttas
non est
exactissi-
ma.

Quomo-
do satis
accurate
quanti-
tas per
guttas
determi-
nari pos-
sit.

los et pugillos subiunxi §. 211, cautela circa determinationem dosium per congiū, sextarium, heminam, cyathum et cochlear est obseruanda. Hae etenim posteriores mensurae in variis locis variant, nec minus sunt constantes, quid? quod pro diuersitate liquorum plus minusue continent, vnde prae his certior ponderum vsus est, si quantitas medicamentorum accuratius est determinanda, vel, si hae mensurae placent, scire expedit, quantum pondus de variis liquoribus capiant.

§. 222.

De expressio-
ne ponderum
maiorum.

Pondera maiora, vel integra, vel dimidia, propriis suis notis, non notis ponderum minorum, ex quibus constant, sunt exprimenda. Sic non solemus praescribere ℥ss, sed 3℥, neque 3℥v, sed 3℥.

§. 223.

Quomodo eadem ingredi-
entium quanti-
tas exprima-
tur.

Si plura medicamenti ingredientia, proxime sibi inuicem subiuncta, aequali singula quantitate praescribuntur, non necesse est cuius ingredientis quantitatem suam sigillatim adscribere, sed signo aa vtimur, vtpote quod ante postremi illorum ingredientium quantitatem designandam positum notat, de priorum singulis tantundem esse recipiendum. Sic v. g. si aquae cerasorum nigrorum vncia vna sit

sit accipienda, et tantundem de aqua florum
tiliae, sambuci et acaciae, scribitur sic;

R^x Aquae ceras. nigr.

flor. tiliae

sambuc.

acac. aa ʒj.

§. 224.

Nonnunquam quantitatis medicamenti de-
terminatio pharmacopoei arbitrio relinquitur,
arque hoc indicatur signis: q. s. quod signifi-
cat: quantum satis, quantum sufficit. Hoc
fit et ferri potest in iis casibus, ubi pharma-
copoeus quantitatem, quae eius arbitrio de-
terminanda committitur, ex cognito ipsi con-
sistentiae desideratae gradu, vel alia quadam
regula stabili, ipsi nota, iuste determinare potest,
in aliis vero casibus nimis vagis, in quibus
pharmacopoeus nescit quantitatem satis accu-
rate determinare, id est vitandum

Quando
quanti-
tatis de-
termina-
tio phar-
maco-
poei ar-
bitrio
relin-
quatur.

§. 225.

Veteres aliis vsi sunt modis quantitates
determinandi, qui, licet hodie sint exoleti,
Medico tamen cogniti sint necesse est, ut eo-
rum scripta legere et intelligere possit, prae-
cipue, si eorum praeiudicio auctoritatis est
deditus. Videantur hinc apud FERNE-

Cogni-
tio pon-
derum
veterum
est ne-
cessaria.

LIVM, SENNERTVM

aliosque.

H 4

SECTIO